



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 3. An monstra in omnibus rebus, etiam in artibus dentur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

lia, & quàm varia, itemque quibus in rebus occurrant? Illis enim negatis, nequicquam diuinæ potestatis, bonitatis, & æquitatis in ijs iudicia indagaremus: at enucleatè perspectis, exclamare nobis libebit:

Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis faciens mirabilia? Exod. 5.
11.

§. III.

An Monstra in omnibus rebus, ac etiam in artibus dentur.

Reperiuntur itaque eiusmodi incon-
fueti naturæ effectus, in omni propemodum rerum genere, in elementis, in lapidibus, in metallis, in plantis, in bestijs, in hominibus, apud quos non natura tantùm errat, sed sæpiùs etiam mores, qui à ratione deuij haud immeritò & ipsi *monstrorosi* appellantur: sicut & aliæ quædam res insolitæ & inconsuetæ. Artes autem, etiam quando monstra producant, si scitè producant, non errant, sed id producant, quod volunt. Quare picti, aut sculpti Satyrisci, Tragelaphi, Hippocentauri, non tam monstra, quàm imagines monstrorum sunt appellandi. Quòd si quis, præter mentem suam, aut contra voluntatem,

Matth. 6
26 & 8.
20. & 12
13. Plin.
lib. 2 c. 38.

diabolum pingit, cùm Angelum formosum destinasset, is effectus, non arti, sed imperitiæ artis est attribuendus. Vnde, si ad mentem pingere volentis attendamus, monstra possunt dici, sed artificis veriùs, quàm artis. Naturæ autem monstra, quæ non sunt præter mentem summi Opificis, sed præter peculiaris duntaxat naturæ finem, in omnibus subinde elementis gigni, immò non tantùm supra nos in aëre, qui in sacris & profanis libris *calum* appellatur, sed etiam in cælo ipso superiore conspici, historiæ narrant, docet experientia, oculi testantur.

§. IV.

In cælo stellato, & sub eo Monstra esse.

Matth. 2.
9.

Nam, si quis cometas siue in aëre accensos & extinctos, siue in cælo sublimiore natos, aut eò tandem promotos, ex hac classe vult eximere; si & stellam, quæ Magos ad Christum natum utique prodigiòse perducens aliquid significando monstravit, atque extra naturæ ordinem astrorumque vias visa est per aërem decurrere; si nouam illam, quæ, anno salutis nostræ 572. supra millesimum, per biennium, inter fixas stellas, in Cassiopea apparuit, stellam